



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1773**

**VD18 90118677**

§. 1. Cæsar Estensis in Pontificis gratiam reversus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

HISTORIÆ  
ECCLESIASTICÆ  
CONTINUATÆ  
LIBER CLXXXIII.

CLEMENS VIII. PONTIFEX MAX.  
RUDOLPHUS II. OCCID. IMP.

§. I.

*Cæsar Estensis in Pontificis gratiam  
reversus.*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

Ineunte hoc anno fervebat adhuc bellum Pontificem inter & Cæsarem Estensem, quod tamen brevi compositum est; hic enim viribus suis diffusus, cum Principum, populorum, ac militum animos erga se magis remissos cerneret, ab amicis monitus illa ferocia, quam ad terrorem Clementi VIII. incutiendum ab initio prætulerat, tandem deposita ad pacis consilia necessitate coactus animum appulit: id vero ut eo securius obtineret, Aldobrandinum Cardinalem Pontifici percarum, necnon Lucretiam Urbinatis Ducis uxorem, quæ defuncti Alphonsi Ferrariensis soror erat,

*Spond. ann.*  
1597. n. 12.  
*Thuan. l. 119*

R 3

sibi

Sæcul. XVI.

A C. 1598

sibi devincire satagebat, moxque Faventiam, ubi tum Aldobrandinus agebat, suos Oratores mittebat, qui suo nomine litem sub honestis conditionibus citra sanguinis effusionem componi rogarent, peterentque, ut Pontifex solutis, quibus Ducem innodasset, censurarum vinculis exercitum suum ab hostili violentia cohiberet, ac demum de concordiae pactis mutuo agi permetteret.

§. II.

*Concordiæ conditiones utrinque imita.*

Thuan. Eg.  
Spond. l. c.  
Struv. Pa-  
riod. 10.  
Jett. 7.

Hisce Cæsaris precibus prompto animo annuit Clemens VIII. aliunde Princeps pacis studiosissimus, qui nulla mora Aldobrandino plenam indulserat transigendi facultatem: quocirca missis ultro, citroque Delegatis, reque mature agitata die undecima Januarii hunc in modum concordiae pacta fuere præscripta I. Cæsar cum tota sua familia, omnibusque, qui sub ejus signis militabant, anathematis vinculo solvatur. II. Cunctis Ferrariensibus omnium præteritorum oblivio indulgeatur. III. Cæsar Ferrariensem urbem, illiusque agrum sacrae Sedi relinquat, nec tamen Aldobrandinus Cardinalis Papæ Legatus civitatem ante trigesimam Februarii diem ingrediatur, ad hanc vero us-

que